







1
1

18

18

19

17

1.

1A
=



16. Knorrius, Carolus Vollett: De refutatione feudi paene loco imperata.
17. Ludovig, Fr. Petrus, de: De formula Ducatus Thuringici.
18. Michaelis, Christianus Benedictus: Dissertatio philologica inang., qua nomina, numerus, divisio et ordo librorum sacrorum veteris Testamenti sistuntur.
- 18^a Schulze, Joannes Henricus: Dissertatio inang. medica, qua infans sine cerebro natus consideratur.
19. Tralles, Joannes Guilielmus: Dissertatio inang. medica, explicans plurimum morborum rationem ex inspiratione aeri excernendi detinendam.

~~1744~~

1. Baumgarten, Sigism. Jacobus: De rebus posteriorum Abrahami in Aegypto.
- 1^a Baumgarten, Sigism. Jacobus: Vindiciae verae et realis corporis et sanguinis Christi in sacra caena praesentiae

ab appignationibus Benjaminis Haatly
exhibet

2. Boechmerus, Justus Henricus: De concursu extra
concursum creditum.
 3. Boechmerus, Justus Henricus: De praerogativa hypothecae
cursum publicarum.
 4. Boechmerus, Justus Henricus: De depravato exceptionis
spolii statu.
 5. Kraunlich, Joanes Georgius: Commentatio philoosophica,
qua de modis, quibus jus rerum et in personas
atque iure possumus, dissertitur.
 6. Kruegerus, Joanes Gualterus: Dissertatio moralis, quod
lex naturae est lex dei.
- Titelblatt, Paul: Von nützige Gedanken von rechter Einsetzung
des mündlichen Vortrages eines Lehrers der Rechte & vom
er seine Sommerlesungen eröffnet.

1744

8^a =^{to} Nettelbladt, Daniel : De jure imperatoris, in casuum
imperii, Electorum, et reliquorum statuum imperii
circa quaestionem an ? in electione regis Romanorum.
2 Exempl. 1744: 1753.

9^a =^{to} Nettelbladt, Daniel : De doli incidentis et causam
dantis in contractibus effecta . 2 Exempl.

9^a Reuter, Jan. Hartwich : De doli incidentis et causam
dantis in contractibus effecta . Rec. 1765

10. Pötker, Johannes Neuv : De differentiis juris communis
et Lubecensis circa crimina ea, quae in vitam
hominis tendunt.







3
Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE

1744
2
CONCVRSV
EXTRA
CONCVRSVM
CREDITORVM

QVAM,
SVB PRAESIDIO
ACADEMIAE FRIDERICIANAE DIRECTORIS
IUSTI HENNINGII BOEHMERI,
IC. DVCATVS MAGDEVRGICI CANCELLARII, POTENTISSIMI
BORVSSORVM REGIS CONSILIARII INTIMI, FACVLTATIS
IVRIDICAE PRAESIDIS ET PROFESSORIS PVBLICI
ORDINARII,

PATRONI AC PRAECEPTORIS OMNI HONORIS
CVLTV PROSEQVENDI,

IN REGIA FRIDERICIANA
PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROVQVE IVRE HONORES

RITE CAPESSENDI,

AD DIEM OCTOBRIS 16^{to} CCXLIV.

LOCO HORISQVE CONSVEVIS

PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT

A. ET R.

FRIDER. REINHARD. HOFMANN,

MOENO-FRANCOFVRTENSIS.

HALAE MAGDEVRGICAE,

Imprimebat CHRISTOPHORVS PETRVS FRANCK, Vniv. Typ.

2

DISSELTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA
DE

CONCVRSV
EXTRA
CONCVRSVM
CREDITORYVM

SVB PRAESIDIO
ACADEMIAE FRIDERICIANAE DIRECTORIS
IVSTI HENNINGII BOEHMERI
IC. DVCAVS MAGDEVRGICI CANCELLARII, POTENTISSIMI
BOVSORVM REGIS CONSILII PRINCEPS, FACULTATIS
IVRIDICAE PRAESIDIS ET PROFESSORIS PVBLCI
ORDINARII
PATRONI AC PRAECEPTORIS OMNI HONORIS
CULTV PROSEQVENDI

IN REGIA FRIDERICIANA
PROLICENTIA

SVB AUSPICIIS
AD DEAM
PLACIDAE FRVDIVM DISCVSSIONI SVBMITTIT

A. ET R.
FRIDER. REINHARD. HOFMANNI

HAEC MAGDEVRGICAE
Impunctis Christianovs Patrvs Franck, Vair. Typ.

SACRAE
CAESAREAE MAJESTATIS
RESPECTIVE CONSILIARIIS ACTVALIBVS
TOTIQUE

SENATI INCLYTO
S. R. I. LIBERAE REIPUBLICAE
FRANCOVRTENSIS AD MOENVM

VIRIS

ILLVSTRIBVS, GENEROSISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS,
MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, CONSVLTISSIMIS, GRAVISSIMIS
ATQVE PRVDENTISSIMIS,

DOMINIS,

DN. PRAETORI,
DNN. CONSVLIBVS,
DNN. SCABINIS,
DNN. SYNDICIS,

RELIQVISQVE

SENATORVM ORDINIBVS
PATRIAE PATRIBVS MERITISSIMIS,
PATRONIS AC MAECENATIBVS
GRATIOSISSIMIS,

HAS PLAGELLAS

IN SVBMISSAE MENTIS TESSERAM
OFFERT ET CONSECRAT

CLIENS DEVOTISSIMVS OBSERVANTISSIMVSQVE

FRIDERICVS REINHARDVS HOFMANN.

VIRI

ILLVSTRES, GENEROSISSIMI, EXCELLENTISSIMI,
MAGNIFICI, NOBILISSIMI, CONSVLTISSIMI
GRAVISSIMI atque PRVDENTISSIMI,

MAECENATES AC FAVTORES GRATIOSISSIMI
INDVLGENTISSIMI



Quo maiori admiratione & ve-
neratione *VESTR*A, quae
in rempublicam nostram
quotidie proficiscuntur, dig-
na sunt merita praeclarissi-
ma: eo iustior fuit dubitatio, nomina
*VESTR*A splendidissima, Specimini huic
academico, *VESTR*IS illustribus &
praestantissimis personis gravibusque, qui-
bus summa cum laude praeestis, muni-
bus plane indigno, praeponere. Verum
cum mihi satis nota haut vulgaris *VE-*
*STR*A

*STR*A erga bonarum artium cultores pro-
pensio & indulgentia, singularisque, qua
& dilecto parenti haecenus frui contigit,
benevolentia & amicitia: non potui, quin
VOBIS, Maecenates submissa animi ve-
neratione colendi, hasce studiorum meo-
rum primitias ea qua par est observantia
consecrem, & a VESTRIS illustribus
praeclarissimisque personis tenui huic li-
bello omne decus mutuare audeam. Elap-
sum iam est quinquennium, ex quo iuris stu-
dii addiscendi gratiam in Ienensem & po-
stea in hanc Fridericianam contuli acade-
miam, ut inchoatum in illa cursum in hac
absolverem: Visum fuit illustri, qui hic
loci consistit, Fictorum Ordini, ut post exa-
mina, quibus me subieci, in inauguralem
descenderem arenam. Elegi igitur hunc
in finem praesens argumentum dissertatio-
nis, quam VESTRIS nominibus illustri-
bus gravis simisque sacrae esse cupio, sum-
mam votorum consecutus, si a VOBIS vel
conatus non improbetur. Deum T.O.M.
pre-

precor & imploro, ut VOS, Patroni adci-
neres vosque colendi, cum splendidissimi ho-
noratissimisque VESTRIS familiis sospites
seruet atque incolumes. Sit illud triumum
Numen custos ac diuturnum praesidium
VESTRO ILLUSTRIS CONCESSVI
cuius sapientissimis & maxime salutaribus
consiliis salva stat respublica patria, mu-
tuaque civium felicitas. Ceterum VE-
STRAE, qua nihil pretiosius novi, con-
suetae gratiae favorique me etiam atque
etiam commendo. Valete. Dabam in
Academia Fridericiana d. 28. Octobris.
A. O. R. MDCCXLIV.





DE
CONCURSU
 EXTRA
CONCURSUM CREDITORUM.

§. I.



ari^{us} ac *multiplex* est vel saltim esse **Concurfus**
 potest **concurfus**, variaque legum **multiplex**
 de illo dispositio & applicatio. est & perri-
 Tamen^{si} enim *notio* vocabuli ubi-
 que eadem sit, & per *concursum* **net**
 semper *coniunctio plurium entium*
 denotetur, usus tamen legum alius
 in hoc, alius in illo est, prout unus magis quam alter sta-
 tum *publicum & privatum* inter subditos, propter quem le-
 ges latae, afficit. Ut illustrandae huius rei gratia tantum
 in iure *privato* subsistamus, ex legibus *romanis* palam est,
concursum 1) usurpari de *actionibus* pluribus alicui ad per- ad *actiones*
 sequendum ius suum competentibus. **Concurrere** vide-
 licet dicuntur *actiones* dupliciter, *elective*, & *cumulative*.

A

Prius

Prius fit quoties ex pluribus actionibus idoneis una tantum experiri licet, qua in iudicium deducta, reliquae omnes consumuntur nec ad illas datur regressus. l. 43. §. 1. de R. I. Posterius, quoties omnibus experiri licet; aut simul, veluti si actio rei persecutoria cum poenali ex eodem facto concurrat, ceu de actione furti, rei vindicationem aut conditionem furtivam non excludente, traditum est: l. 54. §. 3. de furt. aut successive, de qua specie accipiendus est PAULUS in l. 41. §. 1. de O. & A. cum VIPIANO in l. 60. eod. l. 30. de R. I. imo ipso IMPERATORE in §. fin. I. si quadrup. paup. fec. dic. quando statuunt: Nunquam actiones praesertim poenales de eadem re concurrentes aliam alteram consumere. Quod tamen non alio sensu capiendum, quam ut si ea actione, qua minus consequimur, actum & superfit altera, non in solidum & totum, verum deducto eo quod priori actione quis consequutus, ea locum habeat, quomodo de actione legis Aquiliae & commodati responsum in l. 7. §. 1. commod. de actione furti & vi bonorum raptorum in l. 88. de furt. Praeterea 2) personae concurrere dicuntur, quoties plures in communionem alicuius rei incidunt. Talem concursum agnoscit VIPIANUS in l. 1. §. fin. & AFRICANUS in l. 3. pr. de usufr. accresc. quum pluribus usufructus eiusdem rei in solidum legatus, cuius concurrentiae effectus in iure accrescendi, deficiente uno, consistit. Idem ad proprietatem pluribus legatam applicat CELSUS in l. 80. de legat. 3. & partes concursu fieri in re legata scribit. Similiter si plures damni in facti nomine in aedes ruinosas immittuntur, aequaliter omnes, quasi in totas missi, partes concursu habebunt. l. 15. §. 18. de damn. infect. 3) Iura varia in una eademque persona simul concurrunt, ut ex duplici causa quis vel alterum

rum obligatum habeat vel ius aliquod contra eum sibi afferere possit. Tale quid occurrit in *adoptione* plena, quum avus nepotem in potestatem accipit: nam in hoc casu *quia concurrunt in unam personam & naturalia & adoptionis iura, manet stabile ius patris adoptivi & naturali vinculo copulatum & legitimo adoptionis modo constitutum ut in familia & potestate patris adoptivi sit.* §. 2. I. de adopt. Eodem modo dum quaedam cognationes iure civili, quaedam iure naturali connectuntur, aliquando utroque iure concurrente, copulatur cognatio. l. 4. §. 2. de grad. affin. Et quis hoc posito dubitabit duas obligationes de eadem re in eadem persona concurrere posse, veluti quum is, qui venditorem obligatum habebat, ei, qui eundem venditorem ex alia causa debitorem habet, heres extiterit; duae enim tunc concurrunt actiones, *propria & hereditaria*; qua de specie agit *VLPIANUS* in l. 10. de act. em. vend. Ad haec 4) omnes res, quae *coniunctim* adsunt, vel adesse debent, hoc ipso concurrere dicuntur, efficiuntque, ut quae *singula* non profunt *coniunctim* profint, qua de re elegans species occurrit in l. 57. §. 1. de ritu nupt. ubi, postquam liberis quaestio status mota erat, sed variae circumstantiae illis proderant, in rescripto ibidem relato hunc in modum deciditur: *idcirco quum haec omnia in unum concurrunt confirmamus statum liberorum vestrorum in eo matrimonio quaesitorum.* Et sicuti omnia negotia, ac remedia suis constare debent requisitis; ita hoc ad actionem publicianam applicaturus *VLPIANUS* in l. 7. §. 26. de publ. act. bonam fidem, traditionemque rei amissae ad effectum actionis publicianae instituendae concurrere debere scribit. Non dissimilem circumstantiarum concursum in pacto maioris partis creditorum cernimus, quod tanto magis valet, si

non solum pro modo debiti, verum etiam pro modo personarum maior pars in transactionem consentit, & sic ex duplici capite vota maiora concurrunt. l. 8. de pact. in primis 5) & creditores qui contra eundem debitorem agunt concurrere dicuntur, sive quod quilibet separatim creditum suum, debitore solvendo existente, persequatur, sive quod omnes, eo ad incitas redacto, simul de prioritate litigent, qua de re exempla occurrunt in l. 7. pr. qui pot. in pign. hab. & l. 3. §. fin. de in rem vers.

Quid sit concursus creditorum?

Quae eius indoles?

¶ Quamvis vero abstrahendo a conditione debitoris, qui solvendo est vel non, in exigendis debitis simul concurrere dicantur omnes creditores in sensu stricto & eminentiori, tamen, quoties hodie de concursu creditorum loquimur, tantum eam speciem, qua debitor ad incitas redactus est, intelligimus. Constat is in complexu actionum plurium creditorum contra eundem debitorem non solvendo existentem cum prioritatis deductione notarum. Tria ergo sunt momenta quae ad indolem huiuscemodi concursus pertinent. Primum omnino in existentia plurium creditorum quaerendum, quum si unus tantum creditor prodit, is quidem primus concursum, inter reliquos postea formandum, excitare possit, ut exemplo mulieris, dotem repetentis, illustrat LEYSER spec. cccxvii. n. i. solus autem per rerum naturam eundem constituere nequeat; nec etiam plures una eademque actione instructi praesentem concursum construunt, ut circa correos stipulandi vel plures litis consortes contingit, nisi quilibet ex pluribus diversum debitum persequatur, maxime quum sine hac circum-

cumstantia concertatio super *prioritate* suscipi nequeat, quae tamen ad *essentia* eius concursus simul pertinet. Alterum quod huic concursui proprium est momentum, eo tendit, ut debitor *solvendo esse desierit*: alioquin iste concursus eo minus admittitur, quo certius est, *famam* debitoris, cui omnino serviendum, eo ipso multum periclitari *§. 1. l. qui Et ex quib. caus. man.* cumque in *ignominiosam vitam incidere*, ut ait IUSTINIANUS *N. 135. pr.* conf. CICERO *pro Quintio c. 15.* imo debitorem ipsum, vel creditores, quibus plenissime satisfieri potuisset *summum*, qui concursum comitantur, *multitudine gravissime onerari*, quod temere & cessante urgente necessitate ferendum non est. Recte itaque & pie *repugnare pietatis officio* debitori *ultra gravem esse quam necesse est*, ait IMP. in *N. 4. c. fin.* eoque ipso docet, quam *discretus iudex*, in *aperiendo reiciendoque* creditorum concursu, esse debeat. Quid enim *causae foret ea impedire velle*, quae creditoribus non nocent, debitori vero *profunt* & sic *utriusque satisfactionem* quam maxime promovent. MEY. *p. 1. dec. 112.* Solvendo autem tunc debitor esse censetur, si vel *manifeste*, vel *verisimiliter* creditoribus ex bonis suis, *satisfacere se posse*, probare valet, de quo tanquam *quae-
stione praeciudiciali* causae cognitio omnino interponenda, MEY. *p. VIII. dec. 59.* & in dubio *humanior sententia merito* praefenda. *l. 8. de pact. l. fin. C. qui bon. ced. pass. Ter-
tium* momentum in ipso *ordine iudiciario* colloco, mediante quo concursus creditorum instruitur. Is autem *duobus* capitibus absolvitur, quorum *primum* ad deductionem creditorum, *alterum* ad prioritatis probationem pertinet. Vtrumque caput de *essentia* concursus praesentis est, & suis *propriis* rationibus constat, quum, alterutro omisso,

divisio bonorum inter creditores, cuius gratia concursus excitatur, per rerum naturam suscipi nequeat. Quo gradu autem, quibusve *prae*cautionibus & legibus hoc fiat, huius loci non est latius exponere; sed generaliora adduxisse sufficit, ut inde cum *singularis* praesentis concursus indoles, tum ingens *aliorum* concursuum diversitas, de quibus in sequenti agendum, in oculos incurrat.

§. III.

Extra hanc
saepe plu-
res de iure
potiori liti-
gunt.

Quod haecenus de *concurso creditorum* asserui; gravissimam ibi de *prioritate* inter plures concertationem esse solere, id aequè etiam *extra* eundem contingere potest. Vn̄ enim *creditorum moto concursu* agentium communis intentio eo directâ est, ut quia *omnibus* aequè satisfieri nequit a debitore ad incitas redacto, ex *privilegio* aliove iuris fundamento, quis alteri *cedere* debeat, quive *spem recipiendi* crediti sui sibi facere possit, eruatur: ita quoque quoties alias plures ad *eundem* finem tendunt, qui ab vno alterove *tantum* obtineri potest, non potest non gravissima contentio, de *praerogativa*, secundum quam pro alterutro pronuntiandum, oriri. Certant enim plures nonnunquam de eadem re *in solidum*, quae vel dividi nequit, vel licet dividua sit, *rota* tamen a *quolibet* urgetur; & tunc natura rei postulat, ut quia bis eadem adiudicari vtrique nequit punctus *prioritatis* litis finiendae causa inter eos definiatur, & res litigiosa vni adiudicetur, quod iam paucis illustrandum.

§. IV.

Quicquid tamen sit, sola lis illa ad duo summa capita Sive quod
 redit. Aut enim inter duos de re aliqua praestanda vel alteruter in-
 facienda controversia est, cui unus vel plures *interveniunt*; terveniatur,
 aut plures, citra interventionem, contra eundem reum, sive quod
 de eadem re ex diversis prorsus iuribus *separatim* ac prin- vterque
 cipaliter agunt, & de *prioritate* aequae ac in *concurso* cre- principali-
 ditorum certant. Priori casu interveniens litem motam ter agat.
 interruptit, & actorem *vincere* satagit in obtinendo eo, *consequi*
 super quo cum reo hactenus litigatum, quod aliter fieri
 respectu actoris nequit, quam si de utriusque iure consi-
 terit & eorum quilibet *praerogativas* iuris sui contra alte-
 rum everit, quod ipsum *prioritatis deductionem* voca-
 mus. Quod autem diximus ius *utriusque*, actoris ac
 intervenientis, hic supponi, non eo accipiendum sensu,
 ut sine eo interventioni nullus detur locus. Nam saepe
interveniendo concurrunt, quibus nulla *iuris* ratio suffra-
 gatur, quive ideo in lite postea succumbunt. Quia vero
 de eo sub *initio* litis constare nequit & tamen quilibet ius
 aliquod *praetendit*; evenit, ut in *obsuro* concursu tamdiu
 admittendus sit, donec, auditis utrinque partibus, iudex
 alterutrum actorem vel intervenientem ob defectum iuris
praetensi a limine iudicii repulerit. Nonnunquam vter-
 que ius *cerum* & *radicatum* ad rem litigiosam habet, sed
 cui *antiquius*, *fortius* & *pinguius* ius competat, quique
 inter hos *praefendus* sit, non constat; quo casu de hac
 qualitate inter concurrentes *primario* litigandum. Bre-
 viter: ius *verum*, vel *apparens*, & praetensum plurium
 fundamentum istius concursus constituit. Posteriori casu
 omnes aequae *principaliter* agunt & vel *simul*, vel *successive*
 iura

iura sua persequi intendunt sive coram eodem sive coram alio iudice aequae competente, quo casu itidem sine prioritatis deductione, qua vter alterum vincat, eruitur, lis definiri nequit.

Quid inter-
ventio?

Sic ergo concursus, mediante *interventione* suscipitur, quae nihil aliud est quam *tertii* cuiusdam ad *litem* inter alios *ceptam* ob *interesse* proprium facta *accessio*. Supponit itaque iste concursus *litem* inter alios iam *motam*, & *neccum* ad finem *perductam*. Quodsi enim lis nondum pendet, sed tantum *imminet*, is qui rem aliquam iam *actualiter* litigiosam facit, *actoris* non *interventientis* nomine venit, quantumvis *praeter* illum, pluribus ius animusque fuerit, de re *eadem* mox concertandi, qui hoc ipso, dum *moras* neclunt, ab illo occupantur, non autem *interveniendo* in lite turbantur. Eodem modo qui lite *plena* *finita* praetensum ius suum persequitur, *solus* cum victore concertare satagit, *litem* ex lite movet, adeoque non *concurrit*, quod *interventioni* proprium. Quemadmodum vero qui litigat *fundamento* quodam instructum esse debet: ita quoque *interventientem*, dum ad *litem* iam inter alios *motam* accedere vult, *causam* aliquam & *interesse* seu *ius* *perfectum* in promptu habere oportet, per quod istunc concursum fundare, ac firmare potest. Vti enim nemo ius suum indefensum relinquere tenetur, l. 40. pr. de *bered. pet.* nec quae inter alios aguntur, alteri praecudicare possunt l. 74. de *R. I. l. 9. de liberal. caus.* eaque *sola* ratione cuilibet permissum liti eatenus intercedere, late id probante COTHMANNO IV. Resp. IV. n. 129. ita e contra

tra causa ista sublata, nulla ratio, ob quam *intercedens* audiendus sit, in promptu est; quin potius difficultatum & *inanis* morae tollendae causa aequum est, ut talis in gravem litigantium *iniuriam* tentatus concursus prorsus reiiciatur. Idque non tantum testatur MARCIANVS in l. 5. pr. de appell. sed sub eleganti specie illustrat AFRICANVS in l. 34. solut. matrim. vbi patri dotem repetituro actionem *dene-gandam* esse tradit, nisi probet, filiam in *potestate* esse, et ipsi consentire. Eoque concursus interpretum sententia pertinet, qua *religioni iudicantis* sedulo inculcant probationem eius, quod *intervenientis interest*, ne *cauillationibus* litigantium temeraria cuiuscunque immixtione causa detur CARPZ. P. I. C. 3. d. 30. GAIL. 1. Obs. 69.

§. VI.

Interim prout interesse *intervenientis variat*, ita Est principis quoque *diversum* effectum *interventio* producit. Est *principalis* vel *accessoria*. Vtraque aestimatur ex *sine*; & hic iterum ex *diversa qualitate iuris*, ob quod provocat tertius. Videlicet hoc *cohaeret* cum iure *principalis litigatoris*, sive quod ab illo veluti *principalis dependeat*, sive a iure utriusque litigatoris ita *separatum*, ut ne quidem per *consequentiam* cum iure partis connexum sit. Illo casu vocatur *accessoria*, si tertius *reconvenito assistat*, eiusque causam ob *praedictum* *inde-dependens* simul defendat, qualis est *legatarius*, mota super *hereditate* quaestione, pro iure *legati* interveniens: l. 29. de *inoff. testam.* sive alius quilibet, cui ob *evictionem* lis a reo denunciata est. Hoc casu vero dicitur *principalis*, quia *neutrius* ex litigantibus victoria concurrenti quicquam profutu-

futura est, isque *per se* tale ius habet, quod cum effectu in litem deducit, vt nulli litigantium *adhaerere* teneatur sed magis vtrique vtpurimum contradicat. Ibi concursus neutrum ex litigantibus quibuscum concurrat, *submouet*, sed tantum operatur, vt interveniens alterutri *adhaereat*; hic vero interventio ad *submovendum*, & *excludendum* alterutrum, vel vtrumque vsurpatur, de qua specie elegans exemplum habes apud AFRICANUM in *patre*, cui soluto matrimonio de *dote* acturo, *filia* intercedit, actionem *sibi*, non *patri* debere, afferens, quo probato, patrem ab agendo excludit. l. 34. ff. *solut. matrim.* Ibi intercedens est persona *minus principalis*, nec vrgere potest, vt alteruter ex litigantibus se cum eo committat; LEY'S. *spec. cccxli. n. 3.* hic vero tertius vt *litigans* consideratus, omnia ex *integro* agit, adeoque in *eum* quoque sententia pronuntiatur, vt ex formulis sententiae apparet quas exhibet CARPZ. in *proc. tit. IV. art. 2. n. 4.* Quae omnia quantum satis evincunt, multis modis vtrumque concursum differre.

§ VII.

Quid, si
plures ae-
que princi-
paliter a-
gendo con-
currant?

Aliud omnino dicendum, si absque *interventione* plures concurrunt contra eundem rem, propter rem, quae tantum *vni* adiudicari potest. Tunc enim *neuter* intervenit, sed quilibet *separatim* principaliter agit, licet hoc cum interveniente *commune* habeat, quod alterum *summovere*, & viam ad *victoriam privativam* sibi parare intendat. Ex quo porro consequitur, vt cum hocce concursu pugnet, si vterque *simul*, & *eodem tempore* actionem proponit, quum e contrario *interventioni* hoc *proprium* fit,

fit, vt lite iam mota, ac *pendente* proponatur tanquam *caussa incidens*. Potest quidem praesens concursus etiam *successivus* esse, nec vno eodemque tempore emergere; potest tamen quoque *simultaneus* esse: sed nulla interventio cum lite principali *simul* suscipitur, verum semper *instar, cohaesionis & appendicis* consideratur. Vnde porro hic tot *processus* emergunt, quot *actores* rem aliquam sibi deberi satagunt, adeoque *singuli separatim* tractandi, ac per sententiam propriam finiendae, vt vna alteri nullum *praeiudicium* faciat; quemadmodum contra interventio cum *caussa pendente simul* tractatur, & *vna* sententia de iure *utriusque* litigantis, & *intervenientis* pronuntiatur. Loquor de concursu actorum qui non sunt *litis consortes*, nec ex eadem *caussa omnibus communi* litigant; hi enim sine dubio tanquam *una persona* habentur, & *vnam* eademque actionem ac *litem* movent: sed de his, qui ex *diversis* iuribus ac *probandi mediis* eandem rem petunt, maxime si in *diversis foris* litigant, & vnus in foro rei sitae, alter in foro *domicilii* rem vindicat, quod necessario *duplici* processu *aeque principali* fit. Imo si in *eodem foro* litigant, nihilominus *separatim* causam quilibet suam saepius tractat, nec praecise, ceu in *interventione* contingit, *liti alterius* ita *accedit*, vt vno eodemque processu *vtraque* *caussa* tractanda sit. Negari tamen nequit in hac specie nonnunquam *separata* ista iudicia reprobare, litigantes *simul*, & *coniunctim* eum suscipere iuberi: aliquando vnum *principaliter* tantum admitti, reliquos ad *interventionem* remitti, de quo iudex arbitrabitur. Fundatur haec moderatio in *vltimo fine* iudiciorum in genere, qualis est, vt suum cuique *tribuatur*, quod sine *ordine* certo vix fieri potest, & ideo omnes actus, quibus *deductio iurium* magis *con-*

funditur, ac pluribus difficultatibus implicatur, reiiciantur. Res ipsa potissimum ex numero concurrentium dependet. Quodsi horum plures fuerint, interventio difficilius applicari, aut eorum petitis locus esse potest, qui focios undequaque concurrentes ad interventionem remitti postulant, sed quam omnium iura sint circa rem litigiosam aequalia, omnes principaliter praetensiones suas deducere possunt, aequae ac in concursu creditorum contingit. Sin pauciores, magis est, ei morem gerere, qui primus ad iudicium provocavit, & tanquam principalis actor haberi, reliquis ad interventionem remissis, postulat, quem in finem his per sententiam, vt iura sua interveniendo deducant, iungi potest, Illustr. Dn. PRAESES T. II. Conf. cclvi. n. 29. Quodsi plures eodem momento provocaverint, vt de temporis prioritate non constet, aequitas postulat, vt sorte iudice, quis actor principalis, quisnam interveniens futurus? decidatur l. 17. de re iudic. Sic enim omnia eo facilius legitimo tramite in hac specie, difficilius in priori, tractari, & absque confusione ad finem perducere, simul vero iura prioritatis enodari possunt.

S. VIII.

Differentia horum concursuum a concursu creditorum.

Atque hactenus in his speciebus perinde, ac in concursu creditorum stricte sic dicto proceditur, & principale caput, quod in prioritatis deductione latitat, utrobique tractatur, & quotquot concurrere gestiunt, audiuntur. Hoc solum creditorum concursui proprium est, quod non tantum provocantibus ius reddatur, verum etiam absentes edictali citatione convocentur, vt, quod ipsorum interest, proponant, & sic omnium omnino, quorum interest caussa



caussa cum iuribus eidem cohaerentibus diluatur. Quum enim totum debitoris patrimonium ibidem in divisionem veniat, nec quicquam indivisum maneat, salva iustitia praesentibus tantum ius reddi, & quantitas, quae ex bonis debitoris superest, illis cedi nequit, sed conditio debitoris manifestanda & ceteri creditores evocandi, ut, si quis eorum priorem locum legitime deduxerit, aliis praeferatur. E contrario in aliis concursibus citatione ista edictali prorsus non est opus, sed praesentes ac provocantes tantum inter se de prioritare disputant, ignotis creditoribus haecenus exclusis. Neque enim hic aequae, ac priori casu iure suo defraudantur, sed illud, qualecunque fuerit, persequendi facultatem retinent, & sic actionem suam efficacem sibi conservant; non vero, ut priori casu post divisionem bonorum contingit, inanem contra debitorem bonis cedentem, consequuntur. Sive realem, sive personalem habent, perinde est; utraque enim salva manet. Reali quippe inhaeret rei, & sic ipsis datur contra quemvis possessorem, etiam, qui antea egit, & victoriam contra reum forsitan reportavit. personalis autem contra debitorem, qui solvendo esse hic supponitur, saltem ad interesse comparata est, ut per antecedentem occupationem praesentis, absentis non adeo praeiudicium inferatur. Vigilantium ergo habitus melior est conditio, ut pro iis tantum sit pronuntiandum, omissis absentibus, praeterquam si ipse reus omnes quorum interest, praevia edictali citatione, ad agendum provocet, & eorum plures adhuc adesse posse, verisimiliter ostendat. Quod nonnunquam prudenter ad futura litigia praecavenda facit, imo licite facere censetur, postquam, quod leges alioquin reprobant, ne quis in plures

res adversarios distringatur, l. 27. §. 8. ff. de pecul. ipse vltro affectat & vrget. Fac reum ex causa fideicommissi familiae a quibusdam conventum, alios plures, cum actore, eodem iure gaudentes, superfuturos probabiliter suspicari, quo casu quia vni in praedictum reliquorum gratificari nequit; nec etiam cum vno, aut quibusdam tantum sese committere tenetur, sed caute agit, quum sibi ignotos edictaliter citari curat, vt, si qui forsitan ex familia adhuc supersunt, in partem veniant, nec iure suo per praesentes defraudentur, ipsi reo vero plenissima securitas contra quoscunque fideicommissarias praetensiones eorum, quae hactenus latuerunt, procuretur. Et nescio an non huc species l. 11. §. 36. de pos. trahi possit, vbi depositarius vni ex deponentis heredibus rem depositam individuum petenti, eandem non nisi praesita cautione reddere iubetur, vt hac ipsa contra aliorum heredum, hactenus forsitan ignorantum, petitionem sibi consulat. Eadem enim ratio, quae ipsi cautionem istam indulget, permittit quoque ad plenam securitatem obtinendam, & lubricum cautionis evitandum, vt, quot quot heredes extant, edictali citatione ad agendum provocare possit.

Pertinet huc
concurfus
sponsalium
& matrimo-
niorum.

His praemissis non frustraneum erit de variis eiusmodi concursibus, & prioritare inter plures quaedam illustrationis gratia adicere vt appareat, quam ampla sit doctrina de concursu extra concursum creditorum. Sic primo in quaestione de sponsalibus consummandis concursus pluri-
um nonnunquam efficit, vt lis de praesentia sit anceps. Vide

Videlicet concurrentium sponſalium quaedam ſunt *invalida*, aut omnia in ſe *valida*; ſi prius, *validis* reliqua cedere ſine dubio debent. Sic ſponſalia *publica* quidem in diſtincte praeferuntur *clandestinis*, c. 2. X. de *cland. deſponſ.* non tantum ſi *priora*, verum etiam ſi *poſteriora* fuerint, quum ex *clandestinis* ius contradicendi radicatum non emergat, & ſic huic, qui clanculum ſibi fidem ſtipulatus eſt, exceptio *nullitatis* obſtet. Non aequè, quid inter ſponſalia *publica*, & in ſe *valida* iuris ſit, conſtat. Equidem in concuſſu ſponſalium *de praesenti*, & *de futuro* iure canonico res clara, & *prior* locus illis datus eſt, ſive fuerint tempore *priora*, ſive *poſteriora*, quod *fides conſenſus ſit potior fide pactionis*, & ſponſalia de praesenti in verum matrimonium abire credantur. c. 1. X. de *ſponſ. duor.* Verum ſi duo ſponſalia, ſive ſint *de praesenti*, ſive *de futuro*, concurrunt, tempore *priora* ſemper praeferenda, adeo ut ne quidem copula *ſacerdotalis*, aut *carnalis* poſterioribus accedens, prioribus praeiudicare poſſit, quia illa copula *dolo* elicitā priori ſponſo ſponſaevae ius quaeritum tollere nequit. c. 3. X. de *ſponſ. duor.* c. 30. 31. X. de *ſponſal.* (eſſi quondam aliter iudicaverit CALIXTUS II. in memorabili exemplo quod exhibetur apud D'ACHERII *ſpicil. eccleſ.* p. 897.) haec vero, ſi utraque ſponſalia fuerint *de praesenti*, *adulterium*; ſi *de futuro*, *illicitum* coitum conſtituit, CANISIUS ad c. 31. cit. non autem verum *matrimonium*, quod ſecundum *Concil. Trident. ſeſſ. 24. de Reform. c. 1.* non aliter firmum, quam ſi in praesentia *parochi* & *reſtium* contractum. Idem ergo iudicium merito in *foris proteſtantium*, quibus ſponſalia de praesenti ex mente iuris canonici ignota, in concuſſu ſponſalium *de futuro* obtinere debebat. Sed mira hic confuſio doctrinarum li-

tes immortales facit. Nonnulli enim copulae *sacerdotali* plus quam *temporis* prioritati favent; quorum agmen ducit CARPZOVIVS *iurisprud. Consist. p. II. def. 66.* contradicentibus SCHILTERO *exercit. xxxvi. §. 61.* BERGERO *Oecon. iur. p. 112.* Alii iterum ex *carnali* copula prioribus, aut posterioribus accedente praerogativam deducunt LEYSER *spec. ccxcviii. n. 9.* reprobante hoc vinculum, scelere quippe firmatum STRYCKIO *de diss. de sponsal. S. IV. c. IV. §. 3. 4.* Alii denique *pura* sponsalibus *de praesenti*, *conditionata* vero iis, quae de futuro dicuntur, perverte contra *c. 2. X. de spons.* praefertunt, ac inde *conditionata* semper puris, etiam *posterioribus* cedere, somniant, contra quos ex professo calamum strinxit *Illustr. Dn. PRAESES in iur. eccles. Lib. IV. Tit. 1. §. 61. seq.* & semper ex *temporis* prioritatem litem decidendam esse plenius evicit. Ex iisdem principiis quoque de concursu *matrimonii* prorsus iudicandum, usque adeo, ut, si de priori constiterit, posterius dissolvendum sit, tamen si *putativum*, & bona fide contractum fuerit HERTIUS *de matrimonio putat §. 38.* qua ratione quoque commotus Pontifex *matrimonium de facto* contractum irritandum censet, si tertius ex sponsalibus *de praesenti* initis, quae vim *matrimonii* de iure canonico habent, ius *prioritatis* sibi competere asserit. *c. 4. X. de spons. duor.* An idem principium ad concursum *matrimoniorum*, quorum alterum ex capite *impotentiae* dissolutum fuit, applicari queat, non omni dubio caret. Si secundum ius *canonicum* pronuntiandum, inter *inhabilitatem veram*, & *putativam* distinguendum. Si illa tempore separationis adfuit, sed postea, & quidem in *femina*, quae nimis arcta apparebat, *incisione*, aut *fascino* sublata, prius *matrimonium*, re-

scilicet posteriori non redintegrandum. *c. 4. C. 33. q. 1.*
 Sin masculus ope medicorum restitutus, huic uxor cohabitare iubetur, licet interim *alias* nuptias contraxerit, quia ex *eventu* adparet, impedimentum non fuisse *perpetuum*. *c. 6. X. de frigid.* Idemque statuit, si inhabilitas fuerit *putativa*, inhabilis cum alia liberos procreavit, & sic per errorem prius matrimonium rescissum *cit. c. 6.* Sed quemadmodum illae decisiones *ex sacramento*, ob quod matrimonium *absolue* est indissolubile, fluunt, merito a *protestantibus* reprobantur, qui matrimonium posterius legitime contractum ob praecedentem per rem iudicatam decretam dissolutionem prioris, non rescindunt, nec solidam causam habent, cur eiusmodi matrimoniorum *turbationibus* favcant, iure canonico ne quicquam iis obstante, cuius tradita eos non aliter ex receptione stringunt, quam si principiis A. C. non *adversantur*, quae repugnantia in doctrina de sacramento manifesta est. *Illustr. Du. PRAESES cit. l. T. IV. Tit. 15. §. 40. seq.*

§. X.

Idem fere de concursu plurium *expectatarum* in *expectati-*
idem feudum, vel, quod naturam feudi imitatur, *beneficiorum*,
ecclesiasticum, dicendum, quoties inter se expecta-
 varii, quis alteri *cedere* debeat, litigant. Aequitas nam-
 que, & ratio iuris postulat, ut & hic locus sit regulae:
prior tempore potior iure; tum, quia ille ius perfecte
quaesitum habet, quod ipsi invito auferri nequit: tum
 quod litterae *posteriores*, quae priorum, quibus contra-
 riae, mentionem non faciunt, *presumuntur* sub- & ob-
 reptitiae. *c. 3. X. de rescript.* Unde secundum id prin-
 cipium

C

cipium de hocce concursu in dubio merito pronuntian-
 dum, quod tum iure *quaesito*, tum *praesumpta* conceden-
 tis *voluntate*, a qua expectativa originem trahit, ultimo ab-
 solvitur. Sed hoc non est perpetuum, verum nonnun-
 quam aliter se habet, ut assertio STRYCKII de *concurf.*
expect. n. 30. seq. quod priori expectuario *semper* ius
 irrevocabile *quaesitum*, adeoque is *ubique* praefendus
 fit, solido destituatur fundamento. Etenim posterior
 praecedit (1) quoties eius expectativa *specialis*, ad *certum*
beneficium & personam directa; prior vero aut *indefinite*,
 in proxime vacaturum beneficium, aut uni ex heredibus
indefinite, nemine nominato, concessa *c. 38. de praeb. in*
6. usque adeo, ut licet prior expresse non revocata, ad-
 huc idem obtineat, *c. 14. eod.* quia *ipso facto* revocata, ac
 sublata videtur ab eo, cui facultas revocandi *semper in-*
tegra est. Conspirat cum his *Ius feud. Saxon. c. xxxvii.*
Ius feud. Alem. c. xii. ibique SCHILT. §. 3. 6. Idem mul-
 to magis dicendum (2) si posteriori clausula: *anteferri*,
 nominatim adiecta, quae *praesumptam* voluntatem pro priori
 militentem tollit. *c. 7. de concess. praeb. in 6.* Licet enim prior
 expectivarius ius *perfecte* *quaesitum* habeat; id tamen tan-
 tum allegare potest intuitu *facii*, non *concedentis*, qui, quod
 ex mera *gratia* concedit, *revocabiliter* concessisse intelli-
 gitur. (3) Si prior expectivario *inhabili* concessa fuerit, re-
 vera illa per se omni effectu destituitur, (4) si posteriori ti-
 tulo *oneroso*, vel ob *bene merita* singularia, prior ex me-
 ra *gratia* indulta, quod ex natura *privilegiorum* concu-
 rentium fuit, quorum *onerosum* semper *gratiosum* ex-
 cludit. STRYCK de *privil. tit. oner. quaes.* (5) si posterior
 expectivarius *possessionem* a domino consecutus, & sic eo
 iplo *iuris in re* particeps factus fuerit, quod in *collisione*,
 ius

ius ad rem ex nuda expectativa anteriore vincit *c. 15. C. de R. V. STRUV Iurisp. feud. c. ix. §. 7.* Quo etiam in feudis refero, si posterior eventualiter investitus, & hoc ipso utile dominium eventuale nactus: HORN *cit. l. §. 10. in beneficiis ecclesiasticis*, si simul coadiutoriam accipit, quae iudice LEYSERO *de rect. usu expect. §. 46.* non nudam expectativam sed collationem muneris quodammodo iam vacui, & sic dominium utile involvit. Neque ab hac posteriori exceptione dimoveor, si vel maxime posterior, sciens priori expectativam esse concessam, possessionem apprehendit, exemplo HORNII *cit. loc. LEYSERI append. ad cit. diss.* quasi tunc doli exceptio acceptanti obstat; sine bona fide autem nec verum, nec quasi dominium acquiri possit, eoque demum sensu accipienda sit *l. 15. C. de R. V.* quae possessoris conditionem meliorem esse inter duos eisdem tituli iubet. Uti enim id in iis titulis, qui ius perfectum transferunt, facile largior; ita ad expectativam, quatenus ius mere imperfectum transfert, & ex mera concedentis voluntate dependet, temere trahi nequit. Posito enim iure, priorem expectativam pro lubitu revocandi, & in alium validiorem transferendi, ponitur quoque in secundo expectativo facultas, eandem sine scelere accipendi, & sibi habendi.

§. XI.

Quae concurrentia inter expectativos occurrit, eandem quoque inter plures heredes successione sibi asserentes contingere potest, & solet, quoties ex diverso prorsus iure hereditatem sibi restitui postulant, vel de iure proximitatis inter se certant. Quid enim si alius heres

*ex testamento, & alius ab intestato eundem reum, vel possessorem conveniat? Sane quum testamentaria successio praecedat, altera in defectu eius succedat, una autem cum altera simul consistere nequeat, tota lis a probatione testamenti validi, nec ex post sublata, pendeat, secundum quam de praesentia statuendum. Nam aliud hic non suppetit fundamentum decisionis, quam valor, aut nullitas testamenti. Et quid si quis ulterius ex pacto successione urgens intercedat, veluti coniux ex pacto successorio? quo sane casu huius utique semper melior erit conditio, sive pactum illud testamentum, in quo alter actor concurrens se fundat, praecedat, sive succedat, eo quod priori casu ius ex pacto quaesitum ultima voluntate tolli nequeat, ut de testamentis coniugum reciprocis ab alterutro mediante alia voluntate ultima de facto mutatis, respondent Dd. posteriori testamentum antecedens sicut alio testamento, ita pacto revocatum censi debent, quam facultatem testatoribus integram esse discimus ex l. 22. de leg. 3. l. 1. C. de S. S. Eccles. Adeoque is hic ordo observabitur, ut pactitius heres testamentarium, hic vero successorem ab intestato, probato alterutro iure, excludat. Poterit etiam his nonnunquam fiseus se se iungere & ad indignitatem heredis, ob quam ipsi bona cedant, provocare, vel ex capite vacantiae successionem petere, tamen si priori casu non principali actione, sed per modum interventionis concursus suslineatur, quia fiseus, tantum contra heredem indignum, postquam adiit hereditatem, agere potest. Haec de heredibus ex diverso iure succedendi concurrentibus. Nonnunquam fundamentum successionis omnibus quidem commune, singuli tamen de rata sibi inde debita saepius litigant, ut circa liberos di-
verse*

versi matrimonii, simul suis quique parentibus succedere gestientes, contingit. Interim in hoc concursu non tam de prioritare, quam cuique debita portione, ex massa communi separanda, quaestio movetur, nisi quod ex accidente dissortes & quibus per divisionem quomodo cunque ex lege satisfactum est, in posterum a liberis secundum coniugii, mortuo patre dividente, excludi, & velut mortui, iis postponi debeant, ut pluribus docuere MEVIUS ad *Ius Lubec. P. II. Tit. 2. A. 2. n. III.* & B. de *LVDÉWIG de success. coniug. & dissort. liberor. c. VI. §. 3.*

§. XII.

Taceo iam plures legatarios ex diversis causis concurrentes, inter quos, si non maior saltem eadem litis occasio ac praerogativae disceptatio emergere solet. Eadem legitur contingit in specie, quae traditur in *l. 10. pr. de reb. dub.* si duo sint eiusdem nominis, nec, qualem testator ex illis intellexerit, adiecit, alter vero principaliter, alter interveniendo heredem conveniat. Hoc casu ex praesumpta voluntate, qui ex illis maiori caritate defuncto coniungitur, praefertur, ut ex professo docuit *TERB. de magis dilecto*, si aequalis est caritas, uterque repellitur *l. 3. §. 7. de adim. vel transf. legat.* quia his non deficit ius, sed probatio *l. 21. D. de testament. tut.* Similem concursum inter legatarios *ius accrescendi* supponit; Quoties enim diverso genere coniunctionis comprehensi reperiuntur legatarii plures unius eiusdemque rei, vel quantitatis h. e. si quidam in una eademque, nonnulli in diversa periodo comprehensi; portio deficiens non omnibus, sed iis tantum accrescit, qui eum deficiente eodem genere

genere iuncti, eademque periodo comprehensi erant. Adeoque si quis, qui alii verbis tantum iunctus, spreverit, vel alio modo defecerit, eius portio verbis, non reliquis re iunctis cedit; sin vero omnes quoad deficientem re iuncti, omnibus accrescit, ita tamen, ut una comprehensi periodo instar unius personae habeantur, & tantum ex portione deficiente consequantur, quantum uni, cui nullus socius verbis iunctus, debetur l. un. §. ii. C. de caduc. toll. §. 8. l. de legat. l. 89. de legat. 3. Toties enim secundum CELSUM, NERATIUM, VLPIANUM ius accrescendi est, quoties in duobus, qui solidum habuerunt, res concursu divisa est l. 3. de usufruct. accresc. vel quod eodem recidit, si utroque ad legatum perveniente legatum inter eos scinditur secundum §. 8. l. de legat. sicuti vice versa concursu partes non faciunt, adeoque nec iure accrescendi fruuntur, qui eas ab initio ex testatoris dispositione iam habuerunt. VOET. ad ff. tit. de legat. §. 61.

§. XIII.

ob imminentem executionem. Aliam concursus speciem, executio imminens contra debitorem decreta, nobis sistit, etiam si hic solvendo non esse desierit, nec formalis concursus motus fuerit. Tunc enim saepe contingere solet, ut unus, vel plures, qui hactenus in lite non fuerunt, eidem se immisceant, ac ius prioritatis praetendant, propter interesse proprium quod, admissa executione decreta, periclitari potest. Hoc fit ordinarie per modum interventionis principalis, quae sua natura sistit litem hactenus ceptam & etiamnum pendentem l. 15. §. 4. 5. de re iudic. c. 17. X. de re iudic. §. 38. de test. Et quae eo minus dubium coniunctum habet,

EXTRA CONCURSUM CREDITORUM. XXIII

bet, quo certius est, ipsam *actualem executionem* tertio, cuius iura sunt potiora, non nocere, sed *salvo eius iure* fieri, MEV. p. IV. dec. 324. n. 7. p. V. dec. 350. consequenter tanto magis re adhuc integra *suspendi* posse, hoc effectu, ut punctus *prioritatis*, qui iam in litem deducitur, rite examinari, eoque facto in favorem *vincentis* executio subsequi queat. Casus qui huc pertinent varii esse possunt pro-
uti, iura ob quae illa intercessio fit, variant. Sic pater cui usufructus adventitiorum bonorum debetur *condem-
nato* filio ob debitum, absque patris consensu contractum, *interveniendo* executionem impedit, sibi que ex lege com-
petentem usufructum ita conservat, eoque ipso se creditoribus potio-
rem esse evincit BRUNNEM. de proc. cro. C. XXIX. n. 20. Quemadmodum vero isthaec *prioritas*
non est *perpetua* sed temporanea, & finita per mortem *pa-
triae potestate*, cui usufructus cohaeret, expirat, adeoque executionem reapse *ad tempus* tantum suspendit: ita
vice versa, quoties ius intervenientis cum *prioritate* inde-
pendente est *perpetuum*, maiorem effectum habet inter-
ventio, & prorsus *submoro* alio creditore, qui execu-
tionem impetraverat, intervenienti, quoties de eius iure ac
prioritate constiterit, viam pandit, ut ipsi non alteri ex
obiecto executionis satisfiat. Hoc contingere solet &
potest, quum *mulier* constante matrimonio ratione dotis
executionem in bona *mariti* decretam sistere satagit, quod
eidem omnino integrum est. BERL. P. I. concl. 84. n. 47.
Quum enim illa etiam *pendente* matrimonio, marito ad
inopiam vergente, dotem repetere, vel ab interitu salva-
re possit, l. 24. 30. C. de iur. dot. praeterea eidem leges ta-
le ius in bonis mariti assignaverint, ut huic *ante omnes*
etiam *antiores* creditores non magis privilegiatos satis-
facien-

nam de
p. 100
1000000

inob
ni
su
1000000
mul

faciendum sit: *cit. l. 30. Nov. xvii. c. 4.* aequum & iustum omnino est, ut pro asserendo eo iure media quoque indulta esse oporteat, quae mediante ista *interventio- ne* se se exerunt, adeoque illa ad *formalem* creditorum concursum restringenda non sunt. Loquor de creditoribus nullo *fortiori* iure gaudentibus, alioquin enim si quibusdam mulierem *cedere* iusserint leges, quales sunt *absolute* privilegiati, interventio huius nullius effectus erit. Ut ergo de hac circumstantia *praeiudiciali* constet, certamen super iure prioritatis ante omnia suscipiendum, eo- coque demum finito, de vi & efficacia intercessionis a mu- liere factae iudicandum est. Modo quod semel iterum- que moneo 1) maritus ad *inopiam* vergat, quo cessante, interesse mulieris deficit, quod concursum praesentem *unice* fundat, licet vel maxime hypotheca *privilegiata* gaudeat, quae, antequam dies ob dotem agendi venerit, inefficax est, 2) causa dotis statim *liquida* sit. Nunquam enim interventio in *executione* pro hac suspendenda aliter admittitur, quam si fuerit *liquida* *MEV. p. v. dec. 333. n. 3.* *WERNH. Vol. II. obs. 129.* *sin altioris* est indaginis, exe- cutio semel decreta *impediri* nequit; interim causa in- terventionis vel ad *separatum* processum remittitur vel *idonea cautione* in casum succumbentiae intervenien- di prospicitur *MEV. cit. l.*

§. XIV.

Circa domi-
nium in
eadem re
praeten-
sum.

Quibus non multo dissimile est, si plures contra eundem possessorem propter dominium *eiusdem* rei agendo concurrunt, quod fieri posse, & ratio iuris, quae neminem iura sua urgentem a limine iudicii praeccludit, *§ l. 57. de*

R. V.

R. V. cum l. 5. §. fin. commodat. probat. Concurrunt ita plures, sive quod omnes *aeque principaliter*, sed ex *diverso* iure, rem vindicent, sive quod *unus* tantum *interveniat*. Neutro casu unus alterum *submovet*, licet vel maxime intercedens in tali iure se fundet, quod ius partis *ultimo* excludit; sed potius singulis iura sua deducere, & hoc ipso prioritatem probare integrum est, quia *quilibet iure proprio* nititur. Ponamus, alterum ex iure domini mediante *hereditate* acquisiti agere, alterum, iure *legati* intervenientem, *eandem* rem petere; nihil sane causae erit, cur hic *petitorem* *removere*, & prohibere vellet, quo minus is iure suo utatur, quantumvis causa finita ius alterius *praevalere* debeat, quia vterque in solidum esse nequit dominus l. 5. §. f. commod. Idem prorsus obtinet si *emphyteuta* fundum *emphyteuticum* vindicat, & dominus *directus* ex iure *caducitatis*, & inde dependente *extincto* iure *emphyteuticos*, *directo* iudicio *interveniat*: nam neuter alterum a limine iudicii *removere* potest, quanquam domino *vincente*, *emphyteuta* iure suo *cadere* intelligatur. Nihil ergo superest quam ut, cuius ex his sint iura *potiora*, & cui inter plures res *adiudicanda* *veniat*, sub *incudem* vocetur, & hoc velut medio *concursum* *finiatur*. Quemadmodum vero ea *disceptatio* *cursum* *iustitiae* nonnunquam *turbare* ac *remorari* potest, in primis si de unius litigantis iure contra *possessorem* iam *constiterit*, alterius vero, qui *serius* ad *litem* *accessit*, adhuc *altioris indaginis* fuerit, aliud *consilium* *ICTi* *proponunt*, quale est, quod, qui *prior* *vicit*, rem ipsam quidem *obtineat*, sed *possessori* ac *intervenienti* *caveat*, se, cum *posterior* *evicisset*, rem *restituturum* *possessoremque* *indemnem* *praestitutum* *cit. l. 57. l. pen. de hered. petit.* Quam *cautio-*

D

cautionem uti plerique ad interventionem *ante sententiam* factam restringunt, *post* vero se opponentem, contra *novum* possessorem ire iubent, *executione* sententiae nec *suspensa*, nec ulla *cautione* admittitur: ita hoc casu nihilominus ab *arbitrio* discreti iudicis pendet investigatio, utrum interveniens *fraudem*, vel *potentiam* vel *aliud* iustum gravamen ex *mutatione* *possessoris* contingens, allegare possit, propter quod vel *executio*, donec de *prioritate* confiterit, *suspensi*, vel *cautio* idonea ab interveniente praestari debet
COVARRUVIAS *pract. quaest. XVI. n. 3.*

§. XV.

Circa possessionem & litem deduci & ea propter iura *prioritatis*, intuitu eius, qui in possessione potior est, erui solent, in primis quoties super *possessorio* *retinendae* *possessionis* concertatur. Datur enim hoc possessori vero contra turbantem ad hoc ut alter turbare desinat, & sic pro *manutenentia* quietae possessionis pronuncietur. Et si de possessione implorantis satis constat, nil impedimento erit, quo minus *mandato* S. C. ipsi prospiciatur. Quid vero si *uterque* se possidere allegat, *actus* *possessorios* demonstrat, alterve alteri *turbationem* obmoveat? facillimum enim est, ut id contingat, & eo ipso his difficilem exitum consequatur, quia *praesens* remedium hoc singulare habet, quod *duplex* sit, adeoque *uterque* agere possit *l. 3. §. 1. ubi possid.* Quo sane casu partibus non rectius quam per *possessorium* *summarissimum* consulitur, quo *ultimi* *actus* *possessorii* tantum expenduntur. Haec enim *discussio* eum effectum habet, ut *quaestione* *possessionis* *finali* *suspensa*, definiatur quis *interim*,

EXTRA CONCURSUM CREDITORUM. XXVII

rim, ne partes ad arma veniant possidere, & quis postea partes *actoris* ac *rei* sustinere debeat *MEV. p. III. dec. 191. n. 1.* Consequenter possessorium summarium reapse *provisionaliter* prioritatis inter concurrentes deducendae causa comparatum est, & *confusioni* processus resistit, quae, ubi nec de *actore* nec de *reo* constat, non potest non ob iura utriusque *diversissima* oriri. Quamquam non negandum, *aliquando* eum finem obtineri non posse, forsan quod iura utriusque in possessione sint prorsus *aequalia*, nec quae possessio *antiquior*, quae *recentior* in re obscura constet, quo casu nil superest, quam *ut uterque* in *compossessione* defendatur, donec alteruter in *petitorio* ius in re deduxerit. *Illustr. Dn. PRAESES tr. de action. Sect. II. c. 4. §. 13. n. x.* Quod quia tunc *cuiuslibet* integrum, evenit, ut, cuius magis interest litem finire, *actoris* partes suslineat, & non obstante possessione sibi addicta, ad *petitorium* progrediat, adversario *rei* vices tunc tenente. Interim ob *incommoda* quae *compossessionem* comitantur, magis pro re nata aliquando expedit, rem litigiosam sequestrare, & neutrum in possessione defendere, quo facto in *petitorio* is actor erit, qui prior ad iudicium provocavit.

§. XVI.

Practerea circa *servitutes* concursus plurium mirum *circum* in modum variare, & sic ansam quaestioni de *praesentia* dare potest. Vbi, si plures *separatim* eandem *servitutum* sibi vindicant, sive *interveniat* alteruter, sive *inter* *quod* *diverso* iudicio *principaliter* agat, eadem, quae §. XIV. *proposui*, merito obtinent. Quodsi vero plures *domin-*

nantes ob concursum in exercitio inter se certant, quia alter alterum *excludere* intendit, alia ratione de iure alterutrius *potiore* iudicandum. Et si quidem plures diversae *diversorum* praediorum *dominis* eodem in fundo successive constitutae servitutes, quilibet quidem iure suo utetur, dummodo *priori* per *posteriorem* non fiat praecudium *l. 15. commun. praed. l. 32. de servit. praed. urb. l. 4. de aqua cottid. & aestiv.* adeoque *prioritas temporis* hic concursum vnicui moderabitur. Si vero pluribus *simul* eadem servitus concessa, & vnus *invito* altero aliquid in re communi agat, videndum, vtrum id primae sociorum *destinationi* seu vsui ad quem res destinata, sit adversarium, nec ne? *ibi prohibentis* meliorem conditionem esse aperte definit *Ictus in l. 12 23. commun. divid. l. fin. §. 1. de servit. praed. urbanor* hic vero *facientem* potiore esse, nec prohibitione socii impediri posse, aequitas postulat. Aliquando eum *dominante* ipse *serviens* concurrat, & horum uterque sibi *priorem* locum asserit, vt in servitute *inris pascendi* emergit, quoties dominus *propria* pecora ibidem pascere vult. Nam hoc ei permissum fatente *LEYSERO spec. CIVIL. n. 2.* ita tamen vt si *ab initio* fructus vtriusque *dominantis* & *servientis* pecoribus non sufficiunt hic, *sin ex post facto* pastura sufficiens esse desit, ille praefertur. Eadem quoque in *usufructu* cernimus, qui tamen, si pluribus eiusdem rei legatus, contra naturam *servitutum dividuus* est & ab initio pro parte *divisa*, ac *indivisa* constitui potest, in *dubio* vero ad singulos usufructuarios *prorata* pertinere censetur *l. 81. ad l. falcid.* & ideo iudicium communi dividundo admittit. *l. 7. §. 7. commun. divid. l. 13. §. 3. de usufructu.* Vnde in hoc concursu *questio de prioritate*

ritate otiosa est. Potest vero etiam *propriarius* cum *usufructuario* concurrere, quoties ipsi fundus, huic usufructus eiusdem fundi legatus, quam speciem ita decifam videmus in *l. 6. de usufr. earum rerum quae usu consum.* *l. 4. de usufr. accresc. l. 19. de usu & usufr. legat. ut neuter alterum excludat.* Sed cordatiores fatentur, hanc decifionem verborum ac syllabarum aucupii inniti, eo, quod appellatio *fundi* implicite usufructum comprehendat. Unde *hodie* ubi mens potior esse debet verbis, *ipreta subtili* illa interpretatione ex *usu loquendi*, quo fundus si usufructui contra distinguitur, nudam proprietatem denotat, concursus rectius negatur, iudice VOETIO *ad ff. tit. de usufr. §. 8. HERTIO de servit. fact. consist. Sect. III. obs. 1.* Mirandum itaque, CARPZOVIVM *P. III. c. 13. def. 7.* & novissime *cel. LEYSERVM spec. cccclxxxv. n. 3.* cortici verborum inhaerere potuisse. Quum enim non is, sed testatoris praesumpta voluntas, ex usu loquendi elicienda, *iuris commune* in interpretatione, & applicatione legatorum constituat; frustra, *testatorem in dubio iuris commune dispositioni se conformare voluisse*, humaniori iurisprudenciae ab allegatis auctoribus obiicitur.

§. XVII.

Quoad depositum, commodatum, aliasque res ex contractu dominii non translativo possessas dominus prior rem locum saepe disputat ei, qui ex contractu ad restitutionem rei agit, adeoque dum uterque concurrit, quaestio prioritatis volvitur. Circa depositum habemus decifionem in *l. 37. de pos.* quae duplicem concursum nobis significat,

fit, quorum alter ad *fiscum* propter bonorum publicationem, alter ad ipsum *depositarium* cum deponente circa persecutionem rei depositae concurrentem pertinet. Illo casu si post depositum bona in commissum ceciderunt, secundum ius *naturale* quidem deponentem, secundum ius *civile* & legum ordinem *fiscum*, in repetitione praefert *TRYPHONIVS*, qua in re manifeste lapsus est, quum etiam secundum ius *naturae* *fiscus*, per publicationem bonorum, omnium rerum *dominus* factus sit, adeoque si *domini* causa *potior* esse debet, ei ex *utroque* iure res deposita adiudicanda, ut late probavit *PUFFENDORF de iure nat. & gent. L. IV. c. 13. §. 5.* Hoc depositarium, qui exceptionem *domini* praedoni opponit, itidem praefert *TRYPHONIVS*, & deponentem recte a limine iudicii repellit. Etsi enim restitutio depositi alias sit *paratissima* executionis, nec nullas *exceptiones* admittat *l. 11. C. de pos.* concurrente tamen *iustiore* petitione ex natura contractus *b. f.* depositarius audiendus, si dominium rei depositae *in continenti* probare potest: alioquin enim prius rem restituere, & postea de proprietate agere debet. *l. 25. C. locat.*

§. XVIII.

Circa contractus in genere. Admodum *famosus* quoque est, qui circa *contractibus* in genere occurrit, concursus, quoties cum *pluribus* circa eandem rem, qua cum singulis satisfieri nequit, conventum, tunc enim *unus* ex his praefereendus, adeoque fundamentum *praeferentiae* omnino adesse debet. Hoc non ubique idem est, sed pro diversis contractibus variat.

variat. Vt plurimum *temporis* prioritas inspicienda, vt prior
 tempore potior iure censeatur, & sic sequens excludatur.
 Probarunt hoc fundamentum leges in conventionione *hypothecae*
 eiusdem rei diversis temporibus inita, quia illa sua
 natura est *individua*, vt ne quidem posteriores creditores
 beneficium *divisionis* pro convalidando suo iure urgere
 possint, ME V. p. v. d. 274. nec posteriori *specialis* priori
generali cedere debeat, sed prior vsque adeo nexu indi-
 viduo rem afficiat, vt in praecidium eius nihil quic-
 quam fieri possit. l. 2. 4. C. qui pot. in pign. BRUNNEM. de
 concurs. cred. C. V. §. 57. Solum pignus *praetorium* ex-
 cipio, quod omnibus missis *aequale* ius tribuit priorita-
 temque prorsus excludit, l. 15. §. 15. de damn. inf. l. 12. de reb.
 aut. iudi. poss. l. 5. §. 3. vt in possess. legat. Ex eadem tem-
 poris prioritate simpliciter *locatio operarum* duobus facta
 aestimatur, vt semper in concursu is vincat, cui *primum*
 opera locata. l. 26. ff. locat. Sed aliud prorsus in *locatione*
 ac *venditione rei* dicendum. De hac posteriori lis decisam in fa-
 vorem eius, cui primum res *tradita*, sive sit prior tempore,
 sive posterior in l. 15. C. de R. V. Quam enim non conven-
 tionibus sed traditionibus dominium transferatur, l. 20. C. de
 pact. emtor prior non potest nisi ex *iure ad rem*, poste-
 rior vero ex iure *in re* experiri, & hoc ipso illi praeferi.
 l. 3. de obligat. §. Act. Neque refert, traditio fuerit *ve-*
ra an ficta, quam vtraque dominium immediate transfe-
 rat, sive per traditionem *instrumentorum*, sive per *constitu-*
tum possessorium contingat. l. 14. §. 1. de periculo §. comm.
rei vend. l. 1. C. de donat. vsque adeo, vt si priori *ficto*, po-
 steriori *vere* tradita, hic illi cedere teneatur. CARPZ. P. II.
 C. 33. def. 15. n. 4. GAIL. II. obs. 35. n. 10. Fluctus in sim-
 plo

plo hic movet *celeb. LEYS. spec. ccccxliv. n. 4.* asserens magis
 favendum ei, qui *palam* per *veram* traditionem prae eo,
 qui *clanculum* ad rem adrepat, quum alias in omni ven-
 ditione metuendum, ne alius iam eandem rem per *fictam*
 traditionem acquisiverit. Quasi vero *symbolica* sua natu-
 ra sit clandestina, fraudulenta; contra *vera* semper fiat *pa-*
lam, ac sine fraude? utraque clam ac palam fit, praeser-
 tim si res *mobiles* traduntur, adeoque utrobique fallacia
 inesse traditioni potest. Quo iure ergo *accidentalis* illa
clandestinitas vere traditioni effectus suos non detrahit,
 eodem quoque *ficta* ac *symbolica* ex iuribus traditionis *or-*
dinariis aestimanda. Plane illud argumentum quod ex
 verbis: *obtenta non datorum instrumentorum* elicit LEYSER-
 CIT. l. nimis e longinquo repetitum, quia instrumenta ibi-
 dem non *symbolica*, sed res ad *perpetuum usum* fundi destina-
 tas denotat & sic non ad *fictam*, sed ad *veram* traditionem
 pertinet. Denique quia *utroque* possessionem nactus est,
 regula a LEYSERO obiecta, *quod in pari causa melior sit*
conditio possessoris, omnem omnino adplicationem igno-
 rat. Si tamen emtor *sciens* rem alii venditam, & sic do-
 lo malo *possessionem* adeptus, priori quidem ideo *vindica-*
tio non concedenda, ob defectum *dominii*; posteriori ta-
 men possessionis acceptio non profutura est, propter ex-
 ceptionem *doli* obstantem. BRUNN. ad l. 15. C. de R. V.
 BERG. suppl. ad elect. disc. forens. p. II. p. 216. Sunt quo-
 que, qui *donationem* per principem duobus separatim fa-
 ctam a regula eximunt, quorum sententia tamen ex falso
 praeiudicio, quod in huiusmodi contractu dominium *ipso*
iure transferatur, oritur, cui dicam scripsit Illustr. Dn.
 PRAESES de *ficta domin. translat. ex contr. princip.* Quae
 hactenus

hactenus propōita, etiam ad *locationem rerum* merito trahenda. Si enim vendens posteriorem emtorem traditione dominum facit; quanto magis locator posteriori *conductori* vsum per translata[m] possessionem efficaciter concedere potuit in rem alii iam locatam?

§. XIX.

Idem prorsus prioritatis fundamentum vsum actio-
 nis *publicianae* moderatur, quorū duo *bonae fidei* posses-
 sores inter se circa rem acquisitam concurrunt, & de *prae-*
ferentia litigant. Vti enim ea actio tantum b. f. posses-
 sori possessione amissa contra *deteriore* iure possidentem,
 qualis *ordinarie* est, qui mala fide acquisivit, datur: ita
 contra *aeque* titulatam possessorem b. f. non competit, sed
 eius possessio efficit, vt in *pari* causa absolvendus sit. *l.*
128. de R. I. Cui non obstat *indoles rei vindicationis*, ad
 cuius exemplum *publiciana* inventa *l. 2. §. 3. de publ. in rem*
actio, & in qua *prioritas traditionis* alios postponit.
 Nam *diversitatis* ratio manifesta est. In *rei vindicatione*
 prior praefertur, quia ex *dominio* vero oritur, quod is sine
 dubio acquisivit, alter vero, cui *postea* tradita, nullo iu-
 re vitur; at in *publiciana* neuter dominus, sed *uterque*
 in bona fide est; consequenter, quia vterque in *pari* cau-
 sa constitutus, *possidens* praeferrī debuit. Neque hic,
 vtrum ab *eodem*, an *diverso* non domino quis acquisivit?
 distinguendum, vt recte docuit. *Illustr. Dn. PRAESES ad ff.*
tit. de publ. act. §. fin. quum illa diversitas mere *accidenta-*
lis sit, neque praerogativas possessionis in huius actionis
 vsum immutare queat, teste *NERATIO*, in *l. 31. §. fin. de act.*
emr. vend. Nec. *l. 9. §. 4. de publ. in rem act.* aliud evin-
 cit, vt satis docuere *FAB. in rational. ad cit.* & *Illustr. Dn.*

E

PRAE-

PRAESES *in tr. de Act. Sect. II. c. 2. §. 21.* Adeoque exceptio: *iuris aequalis* reo semper salva est, ad submouendum actorem. Plane si ab *eodem* non domino *duobus* res venditur, & ambo *simul* experiuntur contra possessorem tertium, sive alteruter *interveniat*, sive vterque *aeque principaliter* agat, potior causa erit eius, cui priori res tradita. *l. 9. §. 4. de publ. action.*

Circa sub-
hastatio-
nem.

§. XX.

Maximis quoque litibus involutam quotidie *subhastationem* cernimus, quoties concursus plurium efficit, ut de iure ac loco priori invicem contendant. Quae contentio tanto frequentior, quo magis in venditione subhastata non cum vno res agitur sed *plures* ad licitandum evocantur, adeoque concursus personarum eandem rem efflagitantium hic *per se*, in aliis casibus antea praemissis magis *per accidens* oritur. Concursus is aut licitantes *inter se*, quorum vnus alterum excludere intendit, conerit; aut inter illos vel cum *creditoribus* vel cum ipso *debitore* se exerit. Circa illum quidem casum quaestio prioritatis, pendente termino licitationis, otiosa est, postquam *cuiuslibet* permittitur pretium pro re subhastanda offerre, nec *prior* licitatio vllam praerogativam insert, si Saxoniam exceperis, quae iuri *primae licitationis* admodum favet, dummodo ante effluxum licitationis terminum exerceatur, *CARPZ. p. I. C. 32. dec. 24.* quamvis illud ob varia in commoda per *ordin. proc. recentiss. Tit. XXXIX. §. 16.* in terris Electoralibus sublatum. Post *effluxum* terminum vero magis lis, quis inter plures licitatores praefendus sit, oritur, quae ita legibus decisa est, ut cuius *licitum meliorem* conditionem coniunctum habet, sive quo-

ad

ad *quantitatem*, five quoad *qualitatem* pretii, five quoad *modum* solvendi, is aliis potior sit in petenda rei *adiudicatione*. Primus licitator ergo praefertur, si nemo superlicitaverit, eamque conditionem *tacite* connexam habet omnis licitatio, vsque adeo vt *ultimo* die licitaturus adhuc admittatur, nec nisi *effluxo* eo praecludatur, teste CARPZOVIO P. I. C. 32. d. 40. Alia ratio est si *debitor* qui *rebuere* rem contendit, vel alteruter ex *creditoribus*, qui ius *protimiseos* sibi asserit, cum illo, qui *maius* pretium obtulit, concurrat. Uterque enim *effluxo* demum termino licitationis interveniendo litem de *prioritate* huic movere, eumque excludere intendit. Et circa *creditores* quidem conclamatum est, eorum quemlibet, vel inter plures concurrentes, cui *maior*, summa debetur, facultatem habere, ad *idem* pretium, quod alius superando licitavit, se offerendi, & hoc ipso praerogativam petendi tamdiu, quamdiu *adiudicatio* nondum secuta. Id enim manifeste adparet ex l. 16. de reb. aut. iud. quae quantumvis *indefinite* de venditione loquatur; recte tamen ad *publicam* tantum restringitur; in *privata* autem ea praerogativa prorsus reiiicitur a LEYSERO spec. excvi. med. fm. Similiter a *debitore*, cum licitante concurrente, *reliutio* oblata efficit, vt creditor ipsi cedere teneatur. Quod minus dubii habet, si terminus licitationis adhuc currit, debitorque interim ad *meliores* fortunam pervenerit, per ea quae tradit CARZ. c. l. def. 44. Eo autem *effluxo* ius perfecte licitanti quaesitum est, quod ob fidem *baetae publicae* facile convelli, & sic *reliutio* admitti nequit, quamvis, in *Saxonia* ista intra annum etiam post *adiudicationem* admittatur CARPZ. c. l. d. 25. Plane, si citra *subhastationem* res a *debitore* creditori *in solutum* datur, omnis *re-*

luendi facultas corrumpit, eo quod debitor per *voluntariam* additionem pretium ipsemet elegit, nec pinguio-
rentorem quaerere voluit, docente *RODEM cit. loc. def. 60.*

§. XXI.

Circa iura-
menta.

Quas lites porro *concursum iuramentorum* in foro non parit? saepe enim causa ita involuta & qualificata est, vt pro *duplici* iuramento militent rationes, vtrumque tamen *simul* ob manifestum sub alterutro latens *periurium*, admitti nequeat, adeoque pro vno tantum pronuncian-
dum sit. Concurreunt nimirum iuramenta vel in *vna* eademque persona, vel in *diversis*. Illud potissimum fit, quo-
ties in processu *positiones* oblatæ, vterque litigans iura-
mentum *dandorum* & *respondendorum* praestitit, & tamen reo neganti ab *actore* postea iuramentum iudiciale defertur, quod fieri posse docet. *BRVNEM. in proc. civili C. XXIII. n. 10.* Ita enim ad periuria manifeste ianua aperitur; & tamen processu isto admissio vix medium eluctandi super-
est, quum, si vel maxime probatio per *delationem* iura-
menti excluderetur, tamen alterutrius actoris vel rei iura-
mentum *positionibus* adiectum *falsum* sit, & *plerumque* in *periurii* reatum incidat. Vnde iste procedendi modus re-
ctius in pluribus locis reprobatur. Hoc autem contingit si *actor* qui semiplene probavit, ad *suppletorium*, reus vero ob iustas causas ad *purgatorium* admitti postulat. Quo casu quum in dubio partes rei sint favorabiliores, pro reo merito pronuncian-
dum, veluti si is de *veritate*, actor de *credulitate* iuraturus esset; *MEV. p. III. d. 402. BERG. elect. disc. for. tit. 32.* quamvis idem autor conditionem *causarum* & *personarum* probe examinandam esse commendat, quum nonnunquam cum *purgatorio* tali non levis *periurii* suspicio

suspicio concurrat, contra causa actoris *verisimilior* isque bonae conditionis ac vitae integrae fuerit, ut magis ad iuramentum *credularis* suppletorium admittendus sit. Unde quia hic mirum in modum circumstantiae variare possunt rectius decisio quaestionis arbitrio prudentis iudicis subiicitur teste *Illustr. Dn. PRAES. Tom. I. Consult. P. I. dec. 409. in f. p. II. d. 720. n. 9.* Sed de hac specie pluribus agere supersedeo, postquam eam ex professo sub examen vocavit IO. SAM. STRYCK *de concursu iurament.*

XXII.

Fere omissem concursum omnium famosissimum his interserere, qui in communis *hereditatis* vel rei singularis *divisione* sese exerit. Ea enim vix suscipitur, quin *prioritatis* quaestio moveatur, sine qua contentio plurium hic decidi nequit. Equidem in hereditate omnium omnino heredum ius est *aequale*, usque adeo, ut nequidem *sexus* habeatur ratio, nec *fratris* in adiudicatione bonorum paternorum praesortoribus melior sit conditio, quicquid dicat MEV. p. II. dec. 51. quum IUSTINIANUS aequalitatem inter utrumque sexum semper servari voluerit, per l. 4. C. de lib. praeter. Multo minus qualitas *primogeniturae* in concursu liberorum legem prioritatis circa res individuas dat, si vel maxime de *feudis* quaestio est i. Feud. 8. l. Feud. 1. §. 1. nisi quod in feudis *regalibus* plerisque postgenitorum sit cedere *primogenito* ex moribus gentium. Neque audiendi sunt, qui ei rem individuum adiudicant, qui ex *maiore parte* heres est, uti ex l. 34. §. 2. C. de donat. colligunt BRUNNEM. ad cit. l. n. 22. LAUREBERG. ad ff. tit. commun. divid. §. 15. quae de casu *speciali* loquitur, quum singulae res singulis adiudicandae per l. 3.

Circa hereditatis divisionem.

obscuro
mancos

§. 4. *C. commun. divid.* quod, posita illa praerogativa, fieri non posset. *VOET. ad tit. fam. herisc. §. 22.* Nihil ergo superest, quam ut *licitatione* negotium inter heredes concurrentes expediatur, ita, ut qui *maius* pretium obtulit, totam rem accipiat *l. 1. C. commun. divid. vel sorte iudice* praerogativa decidenda. *l. 2. pr. C. quando & quibus quarta pars &c. l. 5. ff. famil. herisc.* Maxime cum etiam in aliis iuris articulis, quoties iura omnium sunt *aequalia* resque aliter exitum habere nequit, *sorte* discerni solet, cuius *melior* esse debeat conditio, uti apparet ex *l. 14. de re iudic. l. 3. pr. C. commun. de legat. §. 23. I. de legat. l. 24. §. 17. ff. de fideicom. libert.* Taceo in praesenti mores *Saxonicos*, qui ex iure veteri Germanico inter heredes eiusdem sexus *maiolem* dividere, *minorem* eligere: sin *diversi* sexus, *feminam* partes facere, *masculum* ius optandi exercere iubent *BEYER in spec. iur. Germ. L. IV. c. 13.*

§. XXIII.

Circa electionem.

Uti in hereditate dividenda plures plerumque concurrere solent, de quorum praerogativa constare debet; ita eadem lis, in *electionibus* inter plures candidatos, ex quibus vnus muneri vacanti praeficiendus, emergit, cuius decisio ex sola *praerogativa*, quam hic, vel ille sibi asserit, petenda. Eius rei vsus potissimum in conferendis *beneficiis ecclesiasticis* cernitur. Equidem si de votis *maioribus*, a quibus *ordinarie* pendet collatio beneficii vacantis, constat, res clara, quia illis ipsis satis *praerogativa* inest, ad excludendos reliquos candidatos. Quod vero si duo pluresve vota *paria* habeant & eligentes votis suis adeo tenaciter insistent, ut neuter alterum in suas partes trahere possit, nec spes sit ut *nova* electione vota maiora

maiora pro aliquo obtineri possint? Sorte litem dirimen-
 dam nonnulli monent CARPZ. l. i. *iurisp. eccl. Tit. 4. def.*
 45. n. 7. STRYCKIUS *adff. BRUNNEMANN ius ecclesiast.*
 L. II. c. 18. §. 56. & praxis hinc inde confirmat, quod etiam
 aequitati apprime congruit. Tametsi enim alii, nescio,
 quid *sacrilegi* in hac decisione quaerant, & ideo *bonis mo-*
ribus refragari testentur; id tamen cum ex confusione sor-
 tis *divinatoriae* ac *dectoriae*, tum ex vana *scandali*, quod
 hic fingitur, opinione repetendum, quam ex professo
 profligavit B. de LUDEWIG *de sorte suffragatoria*, cuius
 terinia non expilabo. Quid si porro candidatorum vnus
eligibilis alter *postulabilis* fuerit? quorum illum vocamus,
 cui nullus *defectus*, quin secundum *canones* admitti possit
 ad officium, obstat; hunc vero, qui *qualitatibus canoni-*
cis destitutus, non nisi per *gratiam* admittendus est. Hoc
 praesertim apud Catholicos in *praelaturis* praesaepe con-
 tingit, & *divisioni* votorum occasionem dat, quum ille
 quidem hunc, non hic illum per vota *maiora* excludere
 possit. Vnde in hoc concursu capitulum, eligibilem non
 aliter removerè potest, quam si is *duplo maior*, & qui-
 dem non ratione *praesentium*, sed ratione totius *capituli*
 habeat, vt clare definitum in c. 40. X. *de elect.* Sicuti ve-
 ro ius canonicum *amplissimum* est in excogitandis reme-
 diis, quibus, quod directo fieri nequit, per *indirectum* ad-
 mittatur, ita hic quoque quoties *postulabilis* a pontifice
decretum eligibilitatis impetravit, is per vota *maiora* ad
 beneficium aspirare, & litem de duplo maioribus ante-
 vertere potest. Maior ratio dubitandi in praelaturis A.
 C. occurrit, vbi saepe quaeritur, an duplo maiorè requi-
 rantur. Nam secund. J. P. art. V. §. 21. postulati praela-
 ti sine vlla *exceptione* admittuntur, & postulationis *idem*
 apud

apud nos est effectus, ac electionis, adeo ut *promiscue* electi, & postulati in I. P. vocentur. Quicquid tamen sit, dum *protestantes* postulationis & electionis *diversas* denominationes retinent, reapse ostendunt, se *prius* institutis inhaerere, in quantum I. P. in iis nil mutavit, nec A. C. *adversum* quid continet, quod de dispositione cit. c. 40. dici nequit. Unde si *Abbatissa* eligenda divisim votis in *duas* personas, quarum altera eligibilis, altera ob defectum aetatis postulabilis, huic non aliter quam per vota *duplo maiora* via ad beneficium patere potest. Quum enim in aliis *stricte* observari soleat a capitularibus *forma electionis*, quid ni in hac re locum habeat, quum A. C. ea dispositio omnino non refragetur? Idem quoque in praelataris ac *ballivis* ordinum *militarium* A. C. contingere solet, si candidatus alteruter, cui iuxta *statuta* eorum *defectus* quidam obstat, cum alio qui *simpliciter* habilis est, concurrat: is enim proprie non *eligitur*, sed per *postulationem* secundum quid talem h. e. mediante *dispensatione* demum promovetur. Unde huic *duplo maioribus* votis opus esse, ut vincat eligibilem, recte docet BECKMANN in *hist. ordin. Ioh. c. V. §. 4. inf.*

§. XXIV.

Circa plura
fora.

Nonnunquam in *iudiciis* contentio fervet, si plures *iudices* concurrunt, & quilibet circa rem in litem deducendam *privative* cognitionem sibi tribuit ad tuendam suam iurisdictionem. Saepe enim fines iurisdictionis sunt *dubii*, ut tum circa *causam* in litem deducendam tum circa *personas* iudicio subiiciendas pro utroque iudice concurrente rationes militent, adeo ut vix unquam existat iudicium, quin cum alio in certis causis committatur, & de

de laesa ac turbata iurisdictione querelas moveat. Quibus casibus vix aliunde quam ex privilegio, litteris investiturae, aut arbitrio superioris decisio quis alteri cedere debeat petenda. Sed aliquando ipsae leges concursum plurium iurisdictionum quidem stabiliverunt & omnium ius aequale esse voluerunt, simul tamen de praerogativa quid edixerunt. Tale quid in causa delicti commissi contingit, ubi leges concursum iudicis delicti commissi, domicilii & deprehensionis probant. l. 1. C. ubi senat. l. 1. C. ubi de crim. Inter hos iure romano semper primae sunt partes eius, apud quem delictum commissum, quoties is remissionem flagitat, quia ad hanc quilibet iure perfecto obligabatur. l. 28. §. pen. de poen. l. 3. ff. de re milit. Si non remissionem urgebat, inter reliquos praeventioni locus erat, uti l. 1. C. ubi de crimin. recte interpretatur ZIGLER in dicast. concl. XV. §. 40. Hodie ea remissio in Germania ob diversum statum reipublicae non est necessitatis, sed liberi arbitrii, adeoque praerogativa foro delicti cohaerens, fere exaruit. Quoposito, praeventio hodie non potest non semper medium esse, quo lis de praerogativa alterutrius fori deciditur. Praevenisse autem censetur, non tantum qui reum prebensum carceribus inclusit, ceu vulgo traditur; verum etiam qui primum edicto absentem citavit, vsque adeo, ut, si rectam iuris rationem sequimur, alius hoc facto eundem apprehendere, sibi que forum fundare prohibeatur. Quodsi enim ab ipsa in ius vocatione iudiciorum omnium principium derivandum, §. f. I. de poen. tem. litig. praeterea in ius vocatio praeventioni locum facit, l. f. C. de in ius voc. l. 7. ff. de iudic. eo quod lis ibi finem accipere debet, ubi initium habet, l. 30. ff. de iudic. citatio per edicta autem aequae ac apprehensio

F

personae

personae iudicii criminalis inchoandi causa comparata est, adeoque *litis pendentiam* vere constituit; nulla sane solida ratio, cur praeventio non aequae ad hanc, quam ad illam pertineat, dari potest. Neque obstat, quod a nonnullis traditum est, cum qui *verbalem* citationem promulgavit, supplicium quidem in absentem *constituere* posse, haut quam tamen *executioni* dare. *VOET. ff. tit. de iud. §. 70.* Cum enim a virium *naturalium* defectu ad facultatis *moralis* denegationem non valeat consequentia, & iudex *domicilii*, qui in civilibus sine dubio semper est competens, saepe decretum suum ob rem *alibi sitam* exequi impeditur; non est, quod sanatione eo solo praeventio isthaec in dubium vocetur. Longe minus *Du. LEYSER* *spec. lxxiv. n. 8.* exposita sententia fundata est, qui arrestum *rebus* bonisque fugitivi impositum, quantumvis reus ibidem nec *domicilium* habet, nec *apprehensus* est, praeventionem constituere existimat. Vti enim tale rerum arrestum tantum *rei sitae* forum quodammodo fundat, huius autem solum, ubi *res* petitur in civilibus, non vero ubi *poenae*, quae personalissima est, persecutio fit, nihil quicquam quod huic suffragari sententiae posset, superest. Idque sufficienter *c. l. i. C. ubi de crim.* comprobatur, in qua non de *vlla rei*, sed *personae* apprehensione agit Imperator, eam non ommissurus, si cum hac *posteriori* pro fundanda iurisdictione eiusdem fortis esse existimasset. *Excell. Du. 10. SAM. FRID. BOEHMER Elem. iurispr. crim. S. 1. c. 3. §. 71. in not.* Atque hactenus tria supra memorata fora inter se certant. Aliquando plures quorum quilibet iudex *delicti* esse cupit, & sic ex *eodem* fundamento concurrunt, quo casu utrum praeventioni per *edictum* locus sit, an *communis* nomine citatio, ac inquisitio, quod plerique suadent,

dent, suscipienda, acriter inter se disputant. Consultius utique est, etiam hic *praeventioni* per citationem alterutrum locum dare, ut ingentes difficultates, quae iudicium *mixtum* comitantur, & moram faciunt cognitioni criminali, praecaveantur ANT. MATHAEI *de crim. l. XLVIII. tit. XIII. c. 5. n. 6. Excell. Dn. BOEHMER iurispr. crim. cit. l. §. 72.* Quem in finem sat prudenter ea praeventio in casu praesenti alicubi diserte legibus *provincialibus* probata, ut factum in *ordin. crimin. boruss. Cap. III. §. 5.*

§. XXV.

Quis crederet, etiam inter *principes* certari de praerogativa, si plures ex iure aequali concurrunt, & sic neuter alteri cedere vult. *Primaria* lis hic solet de *ordine* & *principum*. *praecedentia* esse non de *exclusionem* totali, uti quidem haec *genus* aliquot exemplis ostensum. Pertinet huc lis de *proedria* principum in genere, quam tanto magis quemlibet nosse oportet, quanto minus negotia *publica* diversarum rerum *publicarum* inter se sine ea disceptatione explicari possunt. Dum haec conciliant, in *votando*, *sedendo*, *eundo*, *subscribendo*, *salutando* inter se litigant, & quidem vel *principes* ipsi, vel qui eorum vice cum aliis concurrunt, *legati*, usque adeo, ut ea disputatio saepius causae *principalis* disquisitionem, plus quam par est differat. Sua natura omnes principes inter se in statu *naturali* & *aequali* vivunt, nec *antiquitas* regni, familiae, nec *amplitudo* & opulencia ditionum, nec *potentia*, nec *qualitas* potestatis, nec *tituli* splendor vnum alterumve melioris, aut deterioris conditionis faciunt, ut pluribus docuit IACOB. GOTHOFRED. *de iure praeced.* & FURSTENERIUS, *de suprematu.* Solum ergo pactum sive *expressum* sive *tacitum*

citum actibus pluribus firmatum, ius perfectum parit, ad-
 versus alios reges, ex quo alter prae altero *praecedentiam*
 iuste tueri potest. PUFFENDORFF. de I. N. & G. L. VIII. c.
 4. Idem fere fundamentum prodest principibus Imperii
 nostri, quoties in *comitiis* invicem concurrunt & de ne-
 gotiis publicis deliberant. Quamvis enim horum contro-
 versiae ex legibus *publicis* sint decidendae, nemo tamen
 ignorat, earum perpaucas hac de re extare, & plerasque
 praerogativas statuum cum aliis iuribus solo *usu* longaevo,
 & non interrupto niti, & stabiliri. Non opus est lites istas
 sigillatim percurrere; earum enim sunt innumerae, ut lon-
 gior disquisitione iustum exercitationis huius modum exceder-
 deret. Lubens alias praetereo, & in ea, quae *quotidia-*
na fere est, ac in *deliberationibus comitialibus*, votisque
 eam in rem edendis se se exserit, subfisto. Quot enim
 sunt status, quorum non aliqua cum aliis ea de re occur-
 rit contentio? pugnant circa praecedentiam *directores*,
 quales sunt Archidux Austriae & Episcopus Salisburgen-
 sis, dum *propositionem* quilibet sibi vindicat, qua in re
alternatio hactenus placuit, ea tamen cum praerogativa
 Austriaci, ut hic *primus* rem in comitiis ad deliberandum
 proponat, eaque discussa, ius proponendi ad Salisburgen-
 sem devolvatur, quamvis ne haec via quidem extra con-
 troverfiam sit, teste WAGENSEILIO de comit. *univers.* Imp.
 §. 42. Certant circa sessionem *duces* principesque maio-
 res, veluti *Bavarus* cum comite *Palatino* Rheni, summus
ordinis Teutonici Magister cum episcopo *Bambergenfi* ali-
 isque praelatis. Certant comites *Suevici* cum *Wetteravicis*,
 quibus in defectu *quietae possessionis* non aliter medendum,
 quam ut vel *protestatione* vnus alterve sibi consulat contra
 alterum, vel quod hactenus placuit, mediante *alterna-*
tione

tione concurrant, qua de re schema quomodo principes sedent, alternant, consultant, denique inter se ratione proedriae protestantur, vide apud AVT. *der Grund-Veste, item Europ. Herold. p. 459. seq.* In eo solo secundum quid discessum a more praecundi recepto quod in concursu principum, & legatorum cedant legati absentium anteriorum praesentibus posterioribus. Ita saltim invicem convenerunt electores Ao. 1653. in transactione, cuius formulam exhibet LVNIG *R. A. part. spec. art. 109. Autor der Grund-Veste p. 2. c. 4.* salvo tamen semper directoria & laterum ac votorum ordine. Notissima sunt monumenta de eodem anno, quibus pro CAROLO LVDOVICO Palatino pronunciatum, quum legatus Bavari illum anteire tentaverat. ERUSIUS *de praecminent. C. XI. n. 9.* Aliud dicendum, si diversi ordinis fuerint, nam *legatus electoris* nunquam cedit *ducibus marchionibus* aliisque in persona praesentibus, vid. BILDERBECK *im teutschen Reichs-Staat. p. III. c. 16. §. 7.* Denique frequentissimus est in comitiis votorum concursus, quorum pars maior minorem ordinarie vincit, praeterquam in iis casibus, quibus *ius eundi in partes* inter plures concurrentes obtinet, de quo plenius egit SCHWEDER *de casib. a iur. maior. part. in comit. Imp. Germ. except.* Et quis omnes modos litem de praerogativa in concursu principum decidendi recenseret?

§. XXVI.

Pergo ad ius feudale, ostensurus, qua ratione etiam Circa feuda
circa feuda in concursu plurium dominorum & vasallo- sive domini
rum, cuius melior sit conditio, iudicari debeat. Et cir- concurrant,
ca concursum dominorum quidem duo casus famosi oc-
currunt. Aut enim plures *diversorum* feudorum eiusdem
vasalli

vasalli sunt domini, aut pluribus in eodem feudo dominium
 directum competit. Hoc casu omnibus ac *singulis* qui-
 dem vasallum ad praestandum servitium obligatum esse
 constat, quia *unum* est feudum, & sic *una* tantum obli-
 gatio, eaque, quia in *facto* consistit, regulariter *indivi-*
dua. Quo fit, ut si *uni solida* servitia, quanta de isto feu-
 do debentur, praestita a vasallo, is liberetur, & reliquis
 dominis non amplius teneatur. 2. F. 55. §. 2. 2. F. 77.
 STRUV. *syn. iur. feud. c. XI. th. 7. n. 4.* Quid ergo si *uter-*
que simul ea urgeat? *Praevenientis* hic meliorem esse con-
 ditionem, ratio iuris postulat, adeo, ut qui primus va-
 sallum *interpellavit*, huic is servire teneatur; ROSENTHAL
de feud. concl. 12. n. 6. nisi forsan servitium in *dando* confi-
 stit, quod *dividuum* est, & sic vasallum obligat, ut cui-
 bet *pro rata* teneatur. FRANZK. *L. I. Ref. XIX. n. 38.*
 Quodsi de dominio directo inter plures *ligitur*, is qui
 in *possessione* feudi est, praefertur; si *neuter* possidet, ven-
 dente lite etiam *neutri* serviendum. Illo casu quoties *uter-*
que eodem tempore servitia postulat, *antiquior* praefertur,
 vel si de eo non constat, qui *interpellando* alterum prae-
 venit, salvo reliquorum iure, per *substitutum* serviendi.
 KNICHEN *de vest. pact. P. II. c. 5. n. 43.* KOHL *P. II. n. 9.*
 Idque non tantum si conditionem vasalli *scivit* posterior
 dominus, verum etiam si *ignoravit*, obtinet, quum prio-
 ri ius quaesitum tolli nequeat. HORN. *iurispr. feud. c. XVIII.*
 §. 13. Aestimatur vero antiquior non ex tempore *prae-*
sentis vasalli, sed *primi* acquirentis, adeoque is praeferen-
 dus est, a quo ille, non praesens possessor *primus*, prae-
 stito fidelitatis iuramento, investitus est 2. F. 52. c. 2. RO-
 SENTHAL *CVIII. concl. 17. n. 2.* Idem dicendum si domini
 inter se *bello* committuntur, adeo ut ne quidem *posteriori*,
 per

per substitutum contra antiquiorem subvenire teneatur, quicquid dicat KOHL p. VIII. n. 42. seq. Si enim vasallus posterioriorem contra priorem non tenetur iuvare 2. F. 28. c. f. nec etiam licebit substitutum mittere, & ita per indirectum ei assistere SCHRADER de feud. p. VI. c. 6. n. 20. seq. Quod uti iure Longobardico certum est, ita secundum praxin hodiernam aliud prorsus obtinere, probare tentavit FURSTENERIUS de suprematu c. XVIII.

§. XXVII.

Quod ad vasallos attinet si in vno eodemque feudo Sive vasalli, concurrunt, quod mortuo vasallo, relictis liberis contingere solet, de praerogativa quidem frustra quaeritur, quum omnes, sive feudum pro *diviso*, sive pro *indiviso* possident, aequaliter ad servitia, ac renovationem obligentur. 2. F. 77. 2. F. 22. §. omnes. Iure Alemannico tamen *senior* iure senioratus exigere poterat, ut feudum ad tempus *vitae* possideret, fratribusque alimenta inde praestaret, Ius Alem. feud. C. LII. LX. LXI. ibique SCHILT. Sed defuit ista praerogativa, saltem in Saxoniam, fratribusque divisionem urgentibus non deneganda est investitura, teste HORNIO c. XV. §. 18. Maxima quoque in concursu *simul-* Sive *simul-* *taneae* *investitorum* lis super prioritare vertitur, inprimis si *taneae* *investi-* *de* *successione* inter se contendunt. In Saxoniam lis illa *fer-* *vet*, ubi *collateralium* nulla est *successio*, nisi vi *simul-* *taneae* *investiturae* spem succedendi acquisiverint. Hac ergo secuta, feudo aperto admittuntur, ut tamen in *concur-* *sum* plurimum nec *sanguinis*, nec *gradus*, nec *lineae* praerogativae ratio habeatur, sed omnes aequo & pari iure *simul* admittantur. Interim aliquando *concursum* huncce *stetit* praerogativa per *pacum* indulta 1) si *simultanea* *investi-* *titura*:

XLVIII DE CONCURSU EXTR. CONC. CREDITOR.

aitura: *nach rechter Sip-Zahl* concessa, quandoquidem tunc ordo successione civilis, & graduum prerogativa placuisse censetur *CARP. p. III. C. 29. d. 9.* quo etiam II) refero si verbis *aequipollentibus* successione proximioribus reservavit concedens, veluti si scriptum fuerit: *dass die nächsten Vettern im Lebn succediren sollen*: Alicubi III) si vel maxime in litteris investiturae graduum non mentio facta, vi *consuetudinis* receptae tamen proximi remotiores excludunt, vt de *Thuringia* testatur *COLER p. I. dec. 52.* de *Lusatia* ob privilegium Maximilianum *HORN. C. XVI. §. 14.* Aliquando iterum IV) *lineae* habetur *HORN.* vt vna decedente, altera demum admittatur, & a concursu succedendi praesenti excludatur. *STRUV. S. I. F. C. IX. th. XVI. n. 8.* Quid? quod V) nonnulli in *collectivo nomine* vocatis graduum ordinem servandum esse contendunt, veluti si quis investitus: *vor sich und seine eheliche leibes Erben.* Sed dudum eam sententiam profligavit. *BERL. p. II. concl. 53. n. 64.* cui merito subscribo, quia hic denominandi simultaneae investitos modus, non tam *gradibus* favere, quam successione in *stirpes*, vel *capita* respicere videtur.

§. XXVIII.

Possent hoc thema adhuc pluribus exemplis exornare, si rationes instituti praesentis id exigere; sed lubens hic pedem figo, contentus ostendisse, disceptationem de iure prioritatis inter plures concurrentes ad forum creditorum concursum non restringendum esse.




Halle, Diss., 1744



Sb.





1744 3 4

IO INAVGVRALIS IVRIDICA
DE
ROGATIVA
OTHECARVM
BLICARVM

QVAM
NSVLTORVM ORDINIS AVCTORITATE
GIA FRIDERICIANA
PRAESIDE
ADEMIAE DIRECTORE
ENNINGIO BOEHMERO ICTO
VSSORVM REGIS CONSILIARIO INTIMO
MAGDEBVRGICI CANCELLARIO
ESIDE ORDINARIO PROFESSORE IVRIVM PRIMARIO
ATQVE H. T. DECANO
ECEPTORE AD TVMBAM VSQVE COLENDO
VTROQVE IVRE HONORIBVS
VILEGIIS DOCTORALIBVS
RITE CAPESSENDIS
MARTII MDCCKLIV.
H. L. Q. C.
VBLICE DEFENDET
OR ET RESPONDENS
VS WILHELMVS POHLMANNVS
HALENSIS.



AE MAGDEBVRGICAE
CI GRVNERTI ACAD. ET SENAT. TYPOGRAPHI.
(4)